

ratione. c. Quando provocare non est necesse: et c. Ad probandum. 24. de Sentent. et re judicat. cum similibus. Vel ratione partis quæ habet privilegium, v. g. immunitatis, ne vocetur ad munera personalia: nam vocatio, atque sententia in contrarium lata, ipso jure est invalida, adeo ut non sit opus appellatione. Si pater. et l. Veteranis. c. Quando provocare, etc. Vel ratione rei, de qua fertur sententia: ut si contra sententiam, quæ jam transivit in rem judicatam, de novo pronuntietur, l. I. c. eod. Vel quando alia consimili de causa sententia lata non transit in rem judicatam, juxta dicenda inferius tit. XXVII. de Sententia et re judicata. § 4. n. 114. et seqq.

68. Exceptio falsitatis instrumenti potest objici post sententiam. — Hic « non solum ante sententiam, verum etiam post eam, objici potest exceptio falsitatis: cum falsorum instrumentorum prætextu lata sententia usque ad viginti annorum spatium valeat retractari veritate comperta. » Ita loquitur pontifex in c. Cum venerabilis. 6. Licet autem, h. t. et concordat textus in l. Querela falsi. c. Ad legem Cornel. de Falsis. et l. I. ac seqq. c. Si ex falsis instrumentis, etc.

69. Sicut et exceptio falsi procuratoris. — Similiter exceptio falsi procuratoris non solum ante sententiam, sed etiam postea objici potest; utpote qua probata iudicium reputatur nullum, c. In nostra. 4. § fin. de Procuratorib. et l. Licet. c. eod. Tacentur alii tales casus, utpote cit. tit. XXVII. § 4. commodius referendi.

70. Exceptio nullitatis sententiæ, regulariter non impedit executionem ipsius. — Resp. IV. Quamvis exceptio nullitatis possit opponi post sententiam diffinitivam, ut dictum: nihilominus per exceptionem nullitatis ejus, regulariter non impeditur executio sententiæ. Textus est in can. Sicut sine. 2. q. 1. et Clem. Ut calumniis de Sentent. et re judicat. ac notat Glossa c. Cum in jure. vers. Sententiæ. et Innocentius ibid. circa princip. de Offic. delegat. Socinus de Fallentiis, reg. 122. Bartolus l. IV. § Condemnadum. n. 2. et 3. ff. de re judicat. Scaccia de Appellation. q. 19. remed. 1. concl. 5. n. 1. et seqq. citans alios, nonnullis tamen exceptis, quos pariter allegat.

71. Et hujus ratio. A diversis non valet illatio. — Accedit ratio. Quia oppositio nullitatis sententiæ, et impeditio executionis ejus, sunt valde diversa, uti liquet ex terminis: atqui a diversis non valet illatio, l. Papinianus. ff. de

Minorib. et notat Abbas consil. 40. in princip. lib. I; Card. Tuschus litt. a. concl. 510. n. 2; Barbosa in tract. Loca communia. argument. jur. loco 37. cum aliis. Unde in simili post latam trinam conformem sententiam, sicque post exclusum remedium appellationis, potest quidem fieri supplicatio principi, nihilominus ipsa pendente mandatur sententia executioni; præstita tamen cautione, ut si retractetur sententia, omnia restituantur, Auth. Quæ supplicatio. c. de Precib. Imperat. offerend.

72. Fallit illud, quando nullitas sententiæ est evidens seu notoria. Vel potest in continenti probari. — Additur tamen in data conclusione, « regulariter non impeditur executio sententiæ, » etc. Fallit enim istud, atque per exceptionem nullitatis sententiæ impeditur istius executio, quando talis nullitas est evidens, seu notoria. Socinus cit. reg. 122. fallent. 9. post Baldum in l. ull. c. Si ex falso instrument. Sigism. Scaccia d. quæst. 19. remed. 1. concl. 5. n. 23. et seqq. allegans Rotam decis. 3. alias 280. de Exception. in nov. et communem aliorum. Vel quando dicta nullitas sententiæ potest in continenti probari: quia etiam tunc exceptio ipsius impedit executionem. Bartolus cit. § Condemnadum. n. 2. et 3. Socinus, ubi supra. fallent. 1. Scaccia cit. n. 23. et alii. Idque merito: ne alioquin per executionem sententiæ manifeste injustæ, manifesta committeretur, seu toleraretur injustitia.

73. Aut quando executio sententiæ foret irtractabilis: quia tunc exceptio nullitatis, impedit executionem sententiæ. — Fallit insuper, quando executio sententiæ foret irtractabilis. Quia enim tunc exceptio nullitatis sententiæ impedit hujus executionem; et quidem tam in causis criminalibus, v. g. in amputatione manus, quam in civilibus, donec de nullitate sententiæ antea cognoscatur: idque ob periculum inferendi damnum injustum amplius irreparabile. Socinus cit. reg. 122. fallent. 2. subjungens plures alias hujusmodi fallentias. Scaccia d. remed. 1. concl. 4. n. 74. 75. et 76. citans alios; atque istud intelligens, etiamsi exceptio illa requireret altiore indagine, aut opponeretur contra tres sententias conformes.

74. Exceptiones peremptoriæ possunt opponi in causa appellationis, sicut poterant antea post litem contestatam. — Queritur IV. Utrum exceptiones peremptoriæ post latam sententiam opponi possint in causa appellationis?

§ III. SOLVUNTUR ALIA DUBIA OPPOSITIONEM EXCEPTIONUM CONCERNENTIA. 213

Resp. affirmative: adeo, ut exceptiones hujusmodi possint tunc opponi regulariter in omnibus illis casibus, in quibus poterant opponi in causa principali, post litem contestatam. Ita Glossa fin. c. Inter monasterium. de Sentent. et re judicat. Abbas c. Exceptionem. n. 17. et 18. h. t. et alii. Siquidem per appellationem rescinditur, sive suspenditur, iudicatum, et reponitur in antiquo statu, ut possit quis facere ea omnia, quæ poterat post litem contestatam: ad illum enim statum reducitur, licet non ad eum, qui erat ante litem contestationem. Bartolus in l. Ita denum. c. de Procurat. Abbas loc. cit. et alii, junctis supra n. 28.

75. Dummodo quis non scienter, et malitiose eas omiserit in causa principali, ut si fatigaret adversarium. Malitiis hominum non est indulgendum. — Additur tamen ly, « regulariter in omnibus illis casibus, » etc. Fallit enim hoc, quando quis sciens in fraudem, ac malitiose, prætermisit opponere exceptionem peremptoriam in causa principali, ut sic fatigaret adversarium suum. Qui tunc dolose prætermittens opponere exceptionem peremptoriam (dempta exceptione excommunicationis) non est audiendus in secunda instantia, seu in iudicio appellationis. Glossa fin. c. Inter monasterium. et Joan. Andreas ibid. n. 17. et Abbas n. 15. de Sentent. et re judicat. post Hostiensem ibid. Idemque Abbas in cap. 1. n. 9. h. t. istud intelligens de quacumque exceptione, quæ malitiose tempore determinato non fuit opposita, ut post illud tempus non admittatur. Accedit ratio, quia malitiis hominum non est indulgendum, l. In fundo. ff. de Rei vindicat.

76. Et quid, si exceptio excommunicationis ita malitiose fuit dilata? — Id ipsum, et magis ad propositum, desumitur ex c. Exceptionem. 12. h. t. argumento a speciali desumpto: ibi quippe in exceptione excommunicationis (majoris videlicet) istud habetur speciale, ut in quacumque litem parte possit opponi: ita tamen, ut si malitiose dilata fuerit, reus actori in legitimis expensis condemnandus sit. Atque istud esse speciale in exceptione excommunicationis, probat textus in cit. c. Exceptionem. h. t. sic sonans: « Exceptionem excommunicationis in dilatoriis proponendis reus scienter omittens, in qualibet parte litem opponere minime prohibetur: quod est in hac exceptione specialiter observandum: ne quisquam in periculum animæ excommunicationem communicare cogatur, » etc. Ergo

cum istud sit speciale in exceptione excommunicationis scienter omissa, et quidem ob rationem allegatam, id ipsum in aliis exceptionibus scienter, et malitiose omissis, locum non habet: eo præsertim, qua in istis allegata ratio non procedit. Joan. Andreas cit. n. 17.

77. Judex non illico debet repellere exceptionem peremptoriam propter quamlibet malitiæ suspicionem. Qui dolum allegat, dolum probare debet. — In praxi tamen non illico iudex exceptionem peremptoriam repellere debet propter quamlibet fraudis, seu malitiæ suspicionem; tum quia nemo præsumitur malus, nisi probetur malus, cap. ult. de Præsumption. cum similibus. Et qui dolum allegat, dolum probare debet l. Quoties. § Qui dolo. ff. de Probation.; tum quia dolum non nisi ex indiciis perspicuis probatur, l. Dolum. c. de Dolo malo. Unde et Pontifex in c. Suscitata. 6. De in integrum restitut. post sententiam a se latam, admisit exceptionem præscriptionis a reo propositam (haud obstante, quod « ex præsumptionibus pluribus videbatur per malitiam excogitata) idque sub certis tamen cautelis, censuit faciendum æquitate pensata, » seu ne cuiquam parti præjudicium generaretur. Abbas cit. c. Suscitata. n. 3. De in integrum restitut.

78. Dolum, sive malitia differentis opponere exceptionem, quomodo probari possit? — Et si petas, quomodo ejusmodi dolum, sive malitia differentis opponere exceptionem ad fatigandum adversarium suum, probari valeat? Respondet Abbas cit. c. Inter monasterium. n. 14. in fin. de Sent. et re judicat. ejusmodi dolum probari posse vel ex confessione adversarii; puta, quia ipsemet extra iudicium id dixerat; vel ex conjecturis, sive ex indiciis perspicuis, juxta cit. l. Dolum. c. de Dolo malo.

§ III.

SOLVUNTUR ALIA DUBIA OPPOSITIONEM EXCEPTIONUM CONCERNENTIA.

79. Exceptiones a quibus possint opponi? Eæ opponuntur a reis, horumque hæredibus. — Queritur I. A quibus possint exceptiones proponi, et si non admittantur, appellari? Resp. I. exceptiones opponuntur a reis, horumque hæredibus, et fidejussoribus; nisi fuerint exceptiones personales. Ita Hostiensis in Summa. h. t. n. 4. et alii. Ratio est, quia

exceptio est actionis exclusio, ergo hoc ipso poterit ipsa opponi a reo, contra quem actio est instituta, ejusque hærede, utpote qui in universum jus, ejus succedit, l. *Cum hæres*. ff. de *Divers. et temporalib. præscription.*

80. *Replicatio potest ab actore fieri contra exceptionem rei, et contra illam duplicatio, triplicatio.* — Potest tamen ab actore deinde replicatio contra exceptionem rei, et a reo duplicatio contra replicam actoris, et rursus ab actore triplicatio contra illius duplicam; ac si deinceps multiplicando nomina, quamdiu naturalis æquitas, ac speciales locorum constitutiones, sive consuetudines progressum admiserint, l. II. § *Illud*. ff. h. t. et § 1. *Instit. de Replication.* fuitque practicum in c. *Ex part.* 15. de *Foro competente.*

81. *Exceptiones reo competentes (nisi fuerint personales) possunt etiam a fidejussore ipsius opponi.* — Cæterum, quod exceptiones reo competentes (dummodo non fuerint personales, juxta dicta n. 17.) prosint etiam fidejussori ipsius, ab eoque possint opponi; textus est in § *Exceptiones autem*. *Instit. de Replicat.* addita ea ratione: « Quia quod a fidejussoribus petitur, id ab ipso debitore, sive reo, peti videtur: quia mandati iudicio redditurus est eis, quod ii pro eo solverint. » Et hoc adeo verum est, ut omnes exceptiones reales, quæ reo competunt, fidejussori quoque, etiam invito reo, competant, text. clar. l. *Omnes*. ff. h. t. Ubi Glossa ly: « etiam invito reo, » sic intelligit, quod ejusmodi exceptionem fidejussor, etiam invito reo, opponere valeat, reo tamen manente in integro statu, ut l. *Defensiones*. c. eod. Concordant dicta superius n. 17.

82. *Etsi exceptio legitime opposita per iudicem non admittatur, potest appellari. Exceptiones sunt arma, clypei et lorice reorum.* — Resp. II. Si exceptio legitime opposita per iudicem non admittatur, potest appellari. Ita Abbas cap. ult. n. 4. de *Libelli oblation.* Speculator tit. de *Exception.* § *Viso quando*, n. 27. et seqq. Bartolus in l. *A procedente*. c. de *Dilation.* et alii. Siquidem rationabiles exceptiones debet iudex admittere, *Text. clar. c. Ex parte tua.* 13. de *Offic. delegat.* Unde eas non admitendo, injuste gravat partem, sive reum excipientem contra actorem; eo quod eum privet sua legitima defensione, jure naturali sibi concessa et debita; cum exceptiones sint arma, clypei et lorice reorum, juxta Glossam ad rubric. h. t. et dicta superius n. 1. Ac proinde merito appel-

lare poterit reus excipiens et non auditus, a tali gravamine contra jus naturale sibi illato.

83. *Exceptio reprobatur non solum verbis, seu per sententiam interlocutoriam; sed etiam facto, sive ultra procedendo.* — Notandum tamen quod exceptio non solum censeatur reprobari verbis, seu quando iudex per sententiam interlocutoriam rejicit ipsam; sed etiam facto ipso, sive quando iudex, postquam de veritate exceptionis cognovit, non obstante exceptione ultra procedit: nam procedendo ultra, tacite pronuntiat ipsam non obstare; ac proinde, si acue pronuntiando, seu ultra procedendo gravavit partem, quia forte exceptio legitime obstabat, potest appellari. Desumitur istud ex c. *Ex parte M.* 67. de *Appellat.* ibi: « Iudices hac exceptione neglecta, » etc. ac notat Abbas ibid. n. 2; Bartolus cit. l. *A procedente*. c. de *Dilationib.* cum aliis.

84. *Exceptiones modici præjudicii potest iudex repellere ex levi præsumptione fraudis.* — Interim fatendum est cum Innocentio c. *Post electionem*. circa un. de *Concess. præbend.* et Abbate c. *Interposita*. § 1. n. 3. de *Appellat.* quod exceptiones modici præjudicii possit iudex repellere ex levi præsumptione fraudis, seu quod tantum opponantur ad morandam litem, nisi forsan in continentem velit quis suam exceptionem probare, sicque præsumptio fraudis cessaret. Quod si vero exceptio sit magni præjudicii, ut puta, exceptio de non petendo, vel præscriptionis, non debet ea repelli sine vehementi præsumptione, arg. c. *Constitutus*. 45. de *Appellation.* et c. *Suscitata*. 6. de *in integrum restitut.* cum similibus.

85. *Judex potest revocare malam sententiam interlocutoriam de non admittenda exceptione; et postea procedere in causa principali; etiam nolente parte appellante.* — Notandum ulterius, si iudex viderit se male interlocutum fuisse, aut male processisse non admittendo interpositam exceptionem, quod is non obstante appellatione partis possit suam sententiam interlocutoriam, vel factum illegitimum processum revocare; et facta sui erroris revocatione poterit in principali causa procedere, etiam nolente parte appellante. Textus est in c. *Cum cessante*. 60. de *Appellat.* et amplius declarat Glossa fin. ibid. Abbas n. 3. et seqq. Barbosa n. 1. et seqq. allegans alios. Speculator tit. de *Exceptionibus*. § *Viso quando*. n. 37. addens, talem revocationem debere fieri utraque parte præsentem, vel sal-

tem eam ad notitiam appellantis pervenire debere, ne alioquin superfluis expensis oneretur.

86. *Judex non debet erubescere revocare id quod male egit. Praxis revocandi gravamen verbis curialibus.* — Nec debet iudex erubescere revocare id, quod male egit; tum quia etiam papa suam sententiam injuste latam corrigit, atque in melius mutat, can. *Veniam*. et can. *Sententiam*. 35. q. 9. et c. *Tum ex litteris*. 5. de *in integrum restitut.* Et imperator non erubescit, si quid melius etiam horum, quæ prius dixerat, adinvenerit, id sancire, Auth. de *Nuptiis*. § 1. collat. 4. et Auth. *Ut fratrum filii*, etc. § 1. collat. 9. Nam sapientis est, in melius mutare consilium atque ut can. *Magnæ*. 22. q. 4. ex sancto Augustino refertur, « Magnæ sapientiæ est, revocare hominem, quod male locutus est, » tum quia, si iudex non est certus de gravamine a se illato, potest gravamen revocare verbis curialibus, v. g. dicendo: « Non credo, quod te gravaverim, sed si te gravavi, revoco, » etc. « Aut paratus sum revocare, si de gravamine docueris, » etc. Glossa fin. cit. c. *Cum cessante*. de *Appellat.* Speculator loc. cit. n. 40. istum modum probans ex c. *Ad Apostolicam*; juncta Glossa vers. *Parata Ecclesia*. de *Sent. et de judicat.* in 6.

87. *Si exceptione non admissa appellatur, tunc iudex appellationis super sola veritate exceptionis cognoscit, non vero de causa principali.* — Resp. III. Quod si exceptio declinatoria fori, vel alia dilatoria opposita non admittatur, ideoque appellatum fuerit, tunc iudex appellationis super sola veritate exceptionis coram eo probandæ cognoscit: qua probata, iudex appellationis pronuntiabit quidem, appellationem fuisse legitimam, de causa tamen principali non potest cognoscere, sed debet ea supersedere. Ita desumitur ex c. *Olim*. 7. h. t. ac notat Abbas ibid. in *Summario*. Barbosa in *Collect.* n. 1; Pirhing h. t. n. 41. et 42. cum communi. Ratio est, quia iudex appellationis, seu ad quem appellatum fuit, de eo tantum cognoscere, potest, super quo extitit appellatum: atqui in tali casu fuit appellatum duntaxat super exceptione, non vero super causa principali; ergo.

88. *Solvitur instantia ex c.* Ex parte de *Appellat. desumpta*. — Nec obstat « Ex parte M 67. » de *Appellat.* ubi iudex appellationis non solum cognoscere jubetur super exceptione, propter quam antea oppositam, sed

a iudice non admissam, appellatum fuit; sed etiam super causa principali. Resp. enim. ibi sermonem esse de iudice delegato a Papa, cui pontifex, ad quem appellabatur, non solum cognitionem exceptionis, sed ea probata etiam cognitionem causæ principalis expresse commiserat; uti liquet ex textu, et notat Pirhing, h. t. n. 42. Alias secus.

89. *Quando reus pure accipit, non per hoc confitetur intentionem adversarii.* — Quæritur II. Utrum excipiens de intentione adversarii confiteri censeatur; ita, ut si in probatione exceptionis deficiat, condemnandus sit tanquam confessus? Resp. I. Quando reus pure excipit, non per hoc confitetur intentionem adversarii. Ita communis; atque habetur ex reg. 63. juris in 6. ibi: « Exceptionem objiciens, non videtur de intentione adversarii confiteri. » Concordat textus in l. *Non utique*. ff. h. t. ibi: « Non utique existimatur confiteri de intentione adversarii cum quo agitur, qui exceptione utitur. » Unde in c. *Cum venerabilis*, 6. h. t. rejicitur illatio cujusdam episcopi, qui ex exceptione procuratoris partis adversæ, quod Ecclesiam aliquam ex causa permutationis obtineret, inferre voluit tanquam a procuratore confessum, olim dietam Ecclesiam ad jus pertinuisse episcopi; sed hanc illationem papa rejicit: « Quia (inquit) exceptionem objiciens, de intentione partis adversæ non intelligitur fuisse confessus. » Accedit ratio: quia exceptio, ex actionis exclusio: ergo hoc ipso opponens exceptionem, non confitetur intentionem actoris: alioquin enim exceptio haberet duos contrarios effectus, affirmando nempe intentionem actoris; et eandem negando, seu excludendo.

90. *Qui excipiendo fatetur permutationem Ecclesiæ esse factam, etc., non idcirco fatetur, Ecclesiam illam antea fuisse alterius; et cur?* — Dices. Qui excipiendo fatetur, permutationem Ecclesiæ esse factam, hoc ipso fatetur, ecclesiam illam antea fuisse alterius. Et similiter, qui excipiendo asserit se solvisse, quod actor petit, hoc ipso fatetur se antea fuisse debitorem: nam qui fatetur unum, per consequens confitetur id quod sequitur ex illo, c. *Cum super*. 23. de *Offic. delegat.* ergo. Resp. negando antecedens quod utramque partem, una cum suæ probationis consequentia. Quia ut notat Glossa in cit. c. *Cum venerabilis*. vers. *Confessus*. h. t. et Abbas ibid. n. 25 et 26. bene potest esse permutatio, vel etiam solutio de facto, et non de jure: datur enim solutio indebiti, aut permutatio rei alienæ. Ac

proinde, qui illam excipiendo opponit, non idcirco fatetur intentionem adversarii (hoc est, quod ecclesia illa revera pertinuerit antea ad actorem, vel quod excipiens fuerit ipsius debitor) quia utrumque potuit fieri, absque eo, quod adversarius habuerit jus ad recipiendam rem permutatam, vel solutam. Oportet proinde, quod adversarius, sive actor, de hoc jure suo aliunde doceat, illudque probet.

91. *Si reus non pure excipiat, sed simul adjungat confessionem, et quidem separatam ab exceptione, tunc ipse sibi præjudicat.* — Resp. II. Quod si vero reus non pure excipiat, sed simul adjungat confessionem, et quidem separatam ab exceptione: tunc ipse sibi præjudicat, atque per ejus confessionem fundatur intentio actoris; ut puta, reus dicit: « Fateor pecuniam a te mihi mutuo datam, sed ego jam solvi; vel, sed tu pactus es mihi de ea non repetenda. » Tunc enim per talem confessionem rei de recepta mutuo pecunia, fundata est intentio actoris; adeo, ut actor relevetur ab onere probandi debitum, et reus efficiatur onere probandi exceptionem, ac nisi hanc probaverit, condemnatus sit: quia in tali casu confessio est separata ab exceptione. Ita Abbas c. *Exceptionem*. n. 26. vers. *Quartam opinionem*. h. t. istud probans ex l. *Si quidem*. c. h. t. ubi dicitur: « Si vero de hac (intentione actoris) confitendo, exceptione te munitum asseveras, de hac tantum agi convenit: » Concordant dicta superius tit. 18. *De confessis*. § 5. n. 117. et seqq. agendo de confessione qualificata.

92. *Excipiens confitetur factum in exceptione contentum.* — Resp. III. Insuper certum est, quod excipiens confiteatur factum in exceptione contentum; puta, quod juxta casum cit. c. *Cum venerabilis*. 6. h. t. facta fuerit quædam permutatio ecclesiarum. Ita Abbas cit. c. *Cum venerabilis*. n. 26. h. t. et alii. Hinc in c. *Ex parte Decani*. 33. *de Rescript.* cum reus nobilis excipiendo proposuerat, procuratorem V. a se fuisse revocatum ante impetrationem certarum litterarum apostolicarum (de quibus ibidem sermo est) actor in hac ipsa revocatione procuratoris V. veluti confessata, postmodum se fundavit; et quasdam alias litteras apostolicas, ab eodem revocato procuratore V. impetratas, invaliditatis redarguit, quæ etiam fuerunt cassatæ: sicque patet, quod excipiens confiteatur factum in exceptione allegatum.

93. *An si reus opponat exceptionem peremp-*

toriam et in ejus probatione deficiat, condemnatur tanquam confessus? — Et conformiter dictis patet solutio ad illam quæstionem, an si reus exceptionem peremptoriam opponat, v. g. solutionis, vel præscriptionis; et postea in ejus probatione deficiat, condemnatur tanquam confessus? Resp. enim cum Engel h. t. n. 6. allegante Abbatem cit. c. *Cum venerabilis*. n. 26. eod. sub distinctione, quia reus deficiens in probatione suæ exceptionis, vel postea negat intentionem actoris quoad jus, puta dicendo: « Fecimus quidem contractum; sed nego ipsum esse validum: » et erit audiendus; cum nemo prohibeatur uti pluribus exceptionibus, etiam diversis, l. *Nemo prohibetur*. ff. *de Reg. jur.* atque amplius dicitur n. 81. et seqq. Vel reus vult negare intentionem actoris quoad factum, jam per suam exceptionem confessatum; et non auditur amplius, nisi de errore docuerit, conformiter dictis supra tit. 18. *De Confessis*. § 3. n. 77, 78 et 80.

94. *Si reus est certus, quod actor non possit probare suam intentionem, debet negare, non excipere: et cur?* — Cæterum in praxi notandæ sunt ex l. *Siquidem*. c. h. t. sequentes cautelæ. Prima est: si reus est certus, vel confidit, quod actor non possit probare suam intentionem, debet negare (intellige, ubi conscientia, et veritas non est in contrarium) non autem excipere. Quia excipiendo onus probandi in se suscipit, nam reus in exceptione et actor. l. I. ff. h. t. Si autem negat, actore non probante reus absolvitur, l. *Qui accusare*. c. *de Edendo* et c. *Cum ecclesia*. § fin. *de Causa possession.* cum similibus.

95. *Quod si dubitet, num actor valeat probare intentionem suam, potest negationem et exceptionem cumulare; et quomodo?* — Secunda cautela ibidem expressa, est: Quod si vero reus dubitet, num actor valeat sufficienter intentionem suam probare, potest negationem et exceptionem cumulare, dicendo v. g. « Nego, vel non confiteor, me accepisse mutuum a te; sed si esset, aut probaretur, dico me tibi solvisse; » et idem dicendum de aliis exceptionibus. Atque hunc excipiendo modum, tanquam securissimum, commendat Glossa cit. c. *Cum venerabilis*. vers. *Confessus*. h. t. et Abbas ibid., n. 26. et 27; et Dynus in reg. *Exceptionem*. n. 3. *de Reg. jur.* in 6. Nam quia circa propositum extant diversæ doctorum sententiæ, ut videre est apud Abbatem loc. cit. ut evitetur quævis controversia, oportet reum esse cau-

tum, quod taliter excipiat, ut nullo modo videatur fateri.

96. *Potest quis ubi pluribus exceptionibus, etiam contrariis.* — Quæritur III. An possit quis uti pluribus exceptionibus, etiam contrariis? Resp. affirmative; *Text. clar.* l. *Nemo prohibetur*. ff. h. t. ibi: « Nemo prohibetur pluribus exceptionibus uti, quamvis diversæ sint. » Concordat. reg. 20. juris in 6. ibi: « Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur. » Et ratio est, quia defensio est de jure naturali, sicque nulli deneganda. l. *Vim vi*. ff. *de Justit. et Jur.* et Clem. *Pastoralis*. § *Cæterum, de Sentent. et de re judicat.* Atqui exceptio, est aliqua defensio; ergo non debet cuiquam denegari, etiamsi sit multiplex.

97. *Cum successive.* — Hinc si quis conventus a principio negavit debitum, sicque proposuit exceptionem facti, potest nihilominus postmodum alias exceptiones proponere; prout habetur expressum l. *Nemo ex iis*. ff. *de Reg. jur.* ibi: « Nemo ex iis, qui negant se debere, prohibetur etiam alia defensione uti, nisi lex impediatur: » cujus prohibitionis exempla nonnulla refert Glossa ibid. vers. *Nemo*. Item, si quis a principio proposuit exceptionem minus utilem v. g. jurisjurandi, vel pacti quæ sibi non competebat; potest deinde proponere aliam magis utilem, v. g. rei judicatæ, præscriptionis, aut hujusmodi, l. *Is qui*, ff. h. t. et alibi.

98. *Cum etiam simul, saltem, disjunctive.* — Quinimo non solum successive, sed etiam simul, possunt proponi exceptiones contrariæ, arg. c. *Auditis*. 15. *de Præscriptionib.* ubi Abbas de Hevesca contra episcopum Vigoniens. opposuit contrarias defensiones, seu exceptiones; videlicet privilegium, et præscriptionem: nam « quod meum est (puta virtute privilegii) ex alia causa meum fieri non potest (puta jure præscriptionis) nisi desierit esse meum; » prout loquitur textus in c. *Inter dilectos*. § *Cæterum, de fide instrument.* junctis concordantiis Glossa ibid. vers. *Quod meum est*, relatis. Quamquam in eo casu, quo quis exceptiones contrarias simul opposuit, intelligatur illas opposuisse disjunctive, ut si unam non potuerit probare, alteram probet, arg. cit. c. *Auditis*. ac notat Abbas ibid. n. 24. et Innocentius circa medium. *de Præscript.* Concordat textus jam allegatus ex cit. l. *Nemo prohibetur*. ff. h. t. juncta Glossa un. ib. cum similibus.

99. *Actor non potest simul plures actiones instituere super eadem re, bene tamen reus*

pluribus exceptionibus uti; et cur? Reus excipiendo fit actor necessarius. — Dices. Actor non potest simul plures instituere actiones super eadem re, cit. l. *Nemo ex iis*. § fin. ff. *de Reg. jur.* ibi: « Quoties concurrunt plures actiones ejusdem rei nomine, una tantum experiri debet: » juncta l. *Quod in hærede*, ff. *de Tributor. Action.* Atqui reus excipiendo fit actor. l. I. ff. h. t. ergo. Resp. majorem procedere de actore voluntario, seu de eo, qui prima vice actionem contra alterum intentat; sicque in ejus potestate est, an, quando, et quomodo velit provocare ad judicem, ac proinde tenetur venire paratus, et eligere: quia velit actione experiri. Secus autem dicendum est de reo, qui excipiendo fit actor necessarius, atque permittente sic jure naturali potest se defendere modo, quo potest meliori, sicquæ pluribus exceptionibus uti. Accedit, quod leges plus subveniant illi, qui necessario agit, quam qui omnino libere, c. *Ab arbitrio de offic. delegat.* in 6. junctis concordantiis a Glossa fin. ibid. relatis.

§ IV.

DE EXCEPTIONIBUS IN JUDICIO SUMMARIO, AUT SUMMARISSIMO PROPONENDIS.

100. *Utrum exceptiones in judicio summario sint admittendæ? Et ratio dubitandi.* — Quæritur I. Utrum exceptiones præsertim requirentes altiore indaginem, admittendæ sint in judicio summario? Ratio dubitandi, ac negativam tenendi, desumitur ex Clem. *Sæpe contingit*. § *Nos autem, de Verb. signif.* ubi pontifex loquens de judicio summario, in quo simpliciter ac de plano proceditur, inter alia judici mandat, ut « amputet dilationum materiam: litem quantum poterit, faciat breviores exceptiones, appellationes dilatorias et frustratorias repellendo. » Verum his non obstantibus:

101. *In hoc non prohibentur fieri exceptiones legitimæ; quamvis repellere debeant frustratorias.* — Resp. I. In judicio summario non prohibentur fieri exceptiones legitimæ; quamvis repellere debeant frustratorias, et quidem fortius in eo, quam in aliis judiciis. Ita Glossa in cit. Clem. *Sæpe contingit*. vers. *Amputet.* et seqq. et Abbas ibid. n. 36. asserens, per dictam Clementinam quantum ad hoc nihil poni speciale; nisi quod in judiciis summaris magis quam in aliis, debeat judex labo-